

Erhard:
No Apolline
paris, perito.

Ka
6261





Suppl. v. 1. n. 15
H. H. S. n. 21

22

49

Na 6261

AD
 SOLLENNIA NATALITIA
 SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
 DOMINI
 IOANNIS FRIDERICI
 PRINCIPIS SCHWARZBURGI
 E QVATVOR S R I. COMITIBVS COMITIS HOHN-
 STEINI DYNASTAE ARNSTEDI SONDERSHVSAE
 LEVTENBERGAE LOHRAE AC CLET-
 TENBERGAE RELIQVA
 PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI INDVLGENTISSIMI
 ORATIONIBVS PVBLICIS
 IN LYCEO PROVINCIALI FRANCOHVSAÑO
 RITE CELEBRANDA
 PERILLVSTREM ATQVE EXCELLENTISSIMVM
 MAECENATEM NOSTRV M,
 V I R O S
 ILLVSTRES, MAGNIFICVM, MAXIME REVERENDOS AM-
 PLISSIMOS, RELIQVOS MVNERVM DIGNITATE, DOCTRINAEQVE
 NOMINE SPECTATOS
 REVERENTER ET OFFICIOSE INVITAT
 M. IO. FRIDERICVS ECKHARD. R.
 AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IENENSIS ADIVNCTVS ET
 SOCIETATIS LAT. COLLEGA HONORARIVS

DE
 APOLLINE IVRISPERITO
 PAVCA COMMENTATVS.

FRANCOHVSAE,
 LITTERIS KEILIANIS.



IVVENALIS Lib. 1. Satir. 1.

vers. 128.

Sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo.



um varia, & complura sunt cognomina, Apollini Deo, a pluribus, & diuersis autoribus in antiquitate tributa; tum *iurisperiti* illud, vnicum videretur esse, quod quidem, apud *IUVENALEM* poetam, (a) Apollinis nomini iunctum esse legimus, praeter hunc autem, vix apud quemquam alium. Vnicuique forsan, qui haud ignorat, Apollinem, praesidem, & inuentorem esse creditum artium variarum, vt botanicae, siue herbariae, artis sagittariae, musicae, denique & artis diuinatoriae, in mentem venire posset suspicari, illum, sicut a medicinae inuentione (b) *Medicum*, ita a iurisprudentia, *iurisperitum* esse dictum. Neque etiam, cur non valeret ista ratio, obuerti magnopere quidquam posset, modo illud verum satis esset, vel excogitasse hunc aequi, bonique artem, vel alias saltim ob causas, iurisprudentiae illum praefuisse. Sacras Apollini artes, inter alios *VIRGILIUS*, (c) & *HORATIUS* (d) percensent, atque, quum nullam ex iis, modo dictis praetermittant, iurisprudentiae tamen mentionem prorsus non iniiciunt. Ex horum autem, aliorumque veterum silentio, quid aliud existimandum erit, quam aliam longe causam subesse oportere, cur *iurisperiti* cognomen, Apollinis nomini, additum a *IUVENALI* sit, quam quae ab eo deducitur, quod dicata illi iurisprudentia fuerit.

Vera igitur, huius compellationis ratio, si aperienda est, ipse locus, in quo exstat illa, paullo diligentius inspiciendus

- (a) *Lib. I. Sat. I. vers. 128.*
(b) *OVIDIUS Metamorphos. Lib. I. vers. 521.*
(c) *Lib. XII. Aeneid. vers. 433.*
(d) *Carmin. saecular. vers. 60. sequent.*

dus erit, ex quo demum peti illa, - citra erroris periculum,
 ac desumi recte poterit. In eo autem est *IUVENALIS*, quod
 vel ipsa, carminis satirici ratio prodit, vt varia, aetatis
 suae vitia perstringat, qua, vt ipse ait, *difficile erat satiram
 non scribere.* (e) Ad rem nostram pertinere videtur, quod
 paullo ante, clientelas, & patrocina, prudenti consilio, a
 Romulo instituta, (f) pauperibus iam inutilia esse notet,
 quum in luxum effusa sint omnia, ex quo foeda auaritia,
 existere plerumque solet. Nam, quum prisca illi, frugali,
 & plebeio cibo contenti, in propatulo, & atriis coenarent; (g)
 ditiores nunc, ferculis septem in coenis vti, false commem-
 morat, & quidem, quod auaritiae est, exclusis clientibus,
 & pauperibus. His enim, qui olim, pro salutandi, patro-
 nosque in forum deducendi officio, ad coenam rectam voca-
 ri solebant, *sportulam* tantum dabant, in vestibulo domus,
 hoc est munus, siue *obsonii*, siue *pecuniae.* (h) Verum, ne-
 que his finibus, ditiorum, nobiliumque auaritia se contine-
 bat, sed ad extremas vsque sordes procedebat, ita vt, hi ipsi,
 ad sportulam, ab aliis petendam venirent, eamque inter
 redditus suos, annuosque prouentus numerantes, iis, qui
 ob egestatem illa indigebant, praeriperent; (i) suis vero
 clientibus, debitam, expectatamque sportulam denega-
 rent.

(e) *Lib. I. Sat. I. vers. 30.*

(f) *DION. HALIC. II. 9.*

(g) *loc. cit. vers. 94. sequent: de prisca frugalitate conferri meretur,
 VALERIUS MAX. Lib. II. Cap. 5.*

(h) *Fiebat hoc. ex edicto Neronis, teste SVETONIO. in Neron. Cap.
 16. qui sportulas, coenae rectae loco introduxit. Sustulit il-
 las rursus, Domitianus. vid. SVETON. in Domitian. Cap. 7. Spor-
 tula pecuniaria, erat centum quadrantum. conf. IUVENAL. l. c.
 v. 120. & MARTIAL. Lib. III. Epigr. VII.*

(i) *vers. 117. sequent. eamdem rem, & MARTIALIS perstringit, Lib.
 X. Epigr. X. & Lib. II. Epigr. XVIII.*

rent. (k) Haec autem, postquam, ut fieri par erat, sale factirico rite perftricuisset, totius vitae rationis, non optimae, quae inter ditiores tum vigebar, imaginem pingit, & quam pulchre, & adcurate, scilicet, horas totius diei disponant, (l) subiungit, quando ita canit:

Sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo.

Indicat nimirum, ut carptim haec, breuiterque iam perfringamus, ciues, prima statim diei hora, quo tempore salutandi officium praestare solebant, patronos adire, non tam officii explendi, quam *sportulae* petendae causa Subsequebatur salutationem, patronorum, quae a clientibus fiebat, in forum deductio, quam ob rem statim addit; *deinde forum*, patroni videlicet, cum clientibus suis perunt. Cum foro denique, *Apollinem iurisperitum* coniungit, cuius adpellationis ratio, uti constet, opera nunc danda erit. Vetus IUVENALIS interpres, (m) ut ne quid omisisse videamur, quod negligi forte haud debuisset, non vnam, ex hac difficultate elabendi viam ingreditur; ut fieri solet, si dubii sumus, atque incerti. Modo ipsum Deum *Apollinem*, intelligit, quem ideo *iurisperitum* adpellari opinatur, quod iurisprudentum responsa, utpote deuia nonnumquam, essent oraculis similia, quorum praeses Apollo est creditus; sicuti altera ex parte CICERO, (n) iurisconsulti domum, similitudinis cuiusdam causa, *oraculum* dixerit. Modo adpellandi rationem hanc, a *bibliotheca* repetit, quam Apollini Palatino Augustus dedicauit. Vereor autem, quod ad priorem interpretationem

(2

preta-

(k) *vers. 132. sequent.*

(l) Quo ordine, & modo, dies integri, consumi Romae soleant, eadem fere ratione, MARTIALIS exponit. *Lib. IV. Epigr. VIII.*

(m) *conf. editionem IUVENALIS, cum veteris scholiastae, & variorum Commentariis.*

(n) *de Orator. Lib. I. Cap. 12.*

pretationem attinet, ne plures sint, quibus ingeniosa magis, quam vera illa videatur. Neque etiam ad alteram amplectendam, auctor alicui essem, nisi probari satis possit, bibliothecam illam, iis maxime, qui ad ius civile pertinent, libris instructam fuisse, cum tamen, si SVETONIO (o) fides habenda, longe secus existimandum, statuendumque sit.

Relinquamus itaque haec, & ad alia progrediamur, quae maiori probabilitate se commendant, forumque ipsum, quod clientes, cum patronis suis, adire poeta dicit inspiciamus. Quodsi vero ex tribus foris istis, quae Romae fuisse accepimus, tractandis negotiis civilibus destinatis, (p) vnum aliquod, prae ceteris designari contendimus, nihil forsan, quod praeter rem est, adfirmasse videbimur. Nimirum, si coniecturis locus hic concedendus, illud vates noster, procul dubio respexit, quod tempestate illa, maxima frequentia fuit celebratum. Ad *forum Romanum*, inter reliqua antiquissimum, quod attinet, de frequentia illius, eo minus dubitari poterit, quod Cenforinus ille Cato, acutis illud lapidibus sternendum putavit, ut ne litibus populus nimis adfuesceret. Aliud *forum*, *Iulii Caesaris* fuit, ab ipso Iulio, ut SVETONIUS (q) refert, magnifica impensa, & profusis sumptibus exstructum, quia ipse ius quotidie severissime diceret. Tertium denique, Octavius Augustus adiecit, ob summam hominum, iudiciorumque multitudinem, quae duobus foris non sufficientibus, etiam tertio indigere videbatur, id quod a suo nomine, *forum Augusti* adpellavit. (r) Neque etiam

(o) *in vita Augusti Cap. 31.*

(p) Tria fora ista, MARTIALIS respicit, quando *Lib. III. Epigr. XXXVIII.* canit:

*Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.*

(q) *in vita Iulii Cap. 26.*

(r) SVETON. *in vita Augusti. Cap. 29.*

etiam est, cur aliquis dubitet, in foro hoc lites frequentius diremtas, iudicumque sortitiones sat crebro esse factas, si quidem ipse Augustus voluntatem suam, auctoritatemque interponebat, ut separatim in eo, publica iudicia fierent. (s) Vero igitur quam simillimum esse videtur, sub diuturno Augusti imperio, huic magis foro, quam vlli alii populorum esse aduetum, atque ita sequentibus etiam, & IUVENALIS temporibus, in Augusti foro, prae ceteris illum confluisse. Si conditionem huius fori spectamus, adeo magnificentum, atque splendidum illud fuit, ut PLINIUS illud, inter urbis miracula recenset; (t) qui autem splendor haud parum augebatur, *statua Apollinis eburnea*, qua illud erat conspicuum. (v) Iam, quum ad Augusti forum, quippe quod tum maxime frequentabatur, mentem direxisset poetam credibile sit, quid obstat, quo minus illum, non tam Apollinem ipsum, quam statuam ipsius eburneam, in foro Augusti collocatam respexisset consentaneum sit. Ad hanc statuam, vel saltim, non procul ab illa, iudicia crebro fiebant, ad hanc, & in conspectu quasi, *Apollinis eburnei*, ius quotidie dicebatur, quidni igitur eam ob causam, Apollinem, *iuris peritum* dici existimemus, quod eburneus ille, assidue lites audiendo, iuris quasi factus sit peritus. Haec vero, ut paullo luculentius, cognoscantur, notandum erit, non esse insolens, aut inusitatum, ut *signa, statuae, vel picturae*, iis, quorum signa sunt, nominibus compellentur; atque illius loquendi rationis exempla, non a poetis solis repetenda erunt. Manifestum ipsius indicium, in ioco illo

) 3

CICE-

(s) SVETON. *loc. cit.*

(t) *Lib. XXV. Cap. XV.*

(v) CONF. ALEXANDR. AB ALEXANDRO *Genial. diar. Lib. II. Cap. XII.* ubi de foris, quae Romae fuerunt, ex instituto agit ONVPHRIUM PANVINIUM, & IVSTVM LIPSIVM *de magnit. Rom. Lib. III. Cap. VII.*

CICERONIS deprehendimus, qui, cum fratris sui, Quinti, qui parua statura erat, imaginem clipeatam, ingentibus lineamentis, vsque ad pectus ex more pictam, in prouincia illa, quam proconsul rexerat, vidisset, *frater meus*, inquit, *dimidius, maior est, quam totus.* (x) Nemo enim non, sua sponte statim intelligit, ambiguitatem illam, quae iocum parit, ex tropo *signi*, pro signato oriri, quem *μειωνυλας* appellare solent, dum effigiem fratris, corporisque simulatum ipsius, fratrem ipsum dicit. Neque etiam aliter explicanda ea sunt, quae in aureo, *de officiis*, libello existant: (y) viros quosdam, *ad medium Ianum sedentes*, de quaerenda, collocanda, & vtenda pecunia, commodius disputare, quam ipsos philosophos. Si quis enim est, qui ex animi sui sententia pugnare vellet, haec esse de *Iano*, *Deo bifronte*, accipienda, nae illum ratio vehementer fugeret. Quid igitur? statuam huius Dei intelligit, & quidem, ex tribus illis, in foro collocatis, mediam, ad quam creditores, & foeneratores conuenire solebant, alii ad reddendum, alii ad locandum foenus. (z) An non itaque & IUVENALI poetae esset permittum, Apollinem ipsum nominare, licet statuam intelligat, quum ipse CICERO, huiusmodi loquendi rationem, indulgere sibi haud dubitauerit?

Sed forsitan aliquis, non tam ad nominis permutationem istam haerebit, quam ad *iurisperiti* cognomen, statuae iunctum, vi cuius inanimatae illi, & vita carenti, attribueretur illud, quod de ea, non nisi animata, vel potius de ipsa, cuius speciem offert persona valeret. Facile autem tolli haec dubitatio, scrupulusque eximi poterit omnis, si & alios poetas, similiter esse locutos, planum, manifestum-

(x) MACROBIUS *saturn.* Lib. II. Cap. III.

(y) *Lib. II. Cap. 25.*

(z) *vid. RAPPOLT. Commentar. in Horat. pag. 321. seq.*

stumque reddi poterit. Occurrit primum, adcommodatus huic rei, MARTIALIS (aa) locus, qui adeo litibus, fora feruere omnia dicit, vt ipse *Marsyas* fieri possit, caussidicus. Equis vero *Marsyas* ille? forsan stupidus quidam homo, & litterarum penitus rudis? minime gentium; sed statua, in foro faxea, (bb) quam *caussidicum* fieri posse pronuntiat. Eodem modo, & HORATIUS, (cc) se ab *Apolline seruatum esse*, vt de illo haud recedamus, commemorat, quum garrulus aliquis, in quem forte inciderat, cuiusque nugis paene enecatus, quia nulla se arte, auellere ab ipso poterat, tandem, ab aduersario quodam, obuiam veniente, obtorto, vt aiunt, collo in ius rapitur. Nihil magis conspirans, atque cohaerens verbis hisce est, quam vatem praestantissimum, *Apollinis* statuae illud tribuere, quod iuri erat adsignandum, quod ad statuam illius, in foro erectam dicebatur, vel potius iudici ipsi, qui in loco isto, iudicium exercebat; atque adeo, illud, quod iudicio fit a garrulo isto liberatus, verbis declarare maluit: *sic me seruauit Apollo*. Quemadmodum vero, nisi ratione, non diuersa, & alios poetas locutos esse, probari potuisset, licet verisimilem, tamen non satis tutam, firmamque interpretationem nostram esse, haud inficior; ita etiam, nihil forsan nunc supererit, quod labefactare illam posset. Si qua enim vlla in re alia, in hac certe, vsus, maximam ad probandum vim habet, qui solus in hoc genere, quid rectum, sincerumque fit decernit.

Reliquum adhuc est, vt loquendi ipsam formam, quam in nostro IUVENALIS, & aliis poetarum locis deprehendimus, oratione, poetis familiari, haud indignam esse vincamus. Ad illud autem ostendendum, nollem, cum pluribus aliis, ad
metri

(aa) *Lib. II. Epigr. LXIV.*

(bb) conf. HORAT. *Lib. I. Sat. VI. v. 120.*

(cc) *Lib. I. Sat. IX. extrem.*

metri necessitatem confugere, qua scilicet adactos veteres esse aiunt, si, quidquid insolenter, aut duriuscule dictum videtur, excusare in iis volunt. (dd) Multo rectius ad vehementiorem, quo impelluntur, & ducuntur spiritum, qui in aliquo poetarum numero sunt, prouocare hic licebit, vi cuius, & verba quaerunt, & loquendi rationes, quibus conceptas animo imagines efferant. Componunt eam ob causam varie, sono ipso res exprimere student, nouaturiunt, nomina inuicem permutant, audaciusque loquuntur, quam sermo humanus fert, atque permittit. (ee) Causa igitur & nostri, de *Apolline iurisperito*, non erit alia, quam τὸ ἐυφρασίασίων, quod, si in vlllo alio, in *IUVVENALI* praecipue admirari debemus. Obuersabatur animo ipsius, totius fori, iudiciiue imago, ad quod clientes, cum patronis festinare solebant, in mentem simul veniebat, splendidissimae Apollinis statuae, iuxta quam iudicia fiebant, vt itaque, ad sensus magis orationem adcommoaret, quo nihil venustius in carmine est, hanc potius nominat, quam iudicium ipsum. *Iurisperitum* vero, *Apollinem eburneum* adpellat, vt crebritatem iudiciorum, quae illic instituebantur significet, quam vix maiorem cogitando possumus fingere, quam si statuae ipsae, haud procul remotae, *iurisperiti* fiant.

Plura forsan his addi possent, nisi nos alio vocaret officii sanctitas, recurrente, communi omnium laetitia, auspiciatissimo die natali, *SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI IOANNIS FRIDERICI, PRINCIPIS SCHWARZBURGENSIS, E QUATOR SACRI ROMANI IMP-*

(dd) *conf. Celeb. GESNERVM, ad HEINECCIJ fundamenta stili cultioris, Part. I. Cap. II. §. XV. pag. 88. & IO. GASPARI EVERHARDI WINECKENII programma, in quo locum PHAEDRI Lib. IV. Fab. IV. enarrat, §. VIII.*

(ee) *Sermoni humano, poeticum opponit, PETRON. Satir. Cap. 90.*

IMPER. COMITIBVS, COMITIS HOHNSTEINI, DYNASTAE ARNSTEDI, SONDERSHVSAE, LEVTENBERGAE, LOHRAE, AC CLETTENBERGAE, PRINCIPIIS AC DOMINI NOSTRI INDVLGENTISSIMI. Quod, pro fe quisque vehementer optat, vt dies ille, felicitatis praegnantissimus, splendidior semper reuertatur, illud figillatim concupiscit, votisque certat schola nostra, tantoque magis se, hac pietate incitari sentit, si grato nunc, & laetissimo animo, incredibilis indulgentiae notam recordatur: venisse **PRINCIPEM SERENISSIMVM**, quod litterarum caussa in omnia saecula eat, ad literarias suas recitationes, fedisse, audiuisse. Non autem suauis modo, & otiosa cogitatione complectenda est, rerum secundarum spes, quam in salute **IPSIVS** ponimus, sed gratulandi pietate subiectissima testificanda. Conabuntur officium hoc, demississime praestare, quatuor iuuenes, disciplinae nostrae alumni, moribus, & studiis ornatissimi, qui apud aures eruditas, in praecipitum stare secum constituerunt.

HENRICVS ADOLPHVS HARTLEB, *Viderslebiensis*, parentium votum praecipuum, salutem esse imperantium, oratione latina ostendet, atque votis desinet, pro salute **PATRIS PATRIAE** nuncupatis.


GVNTHERVVS CHRISTOPHORVS SEVBERLICH, *Francobusanus*, de satirarum vtilitate in republica, latinis verbis disputabit.

IOANNES FRIDERICVS HANCKEL, *Francobusanus*, veram honoris ideam, patrio sermone exponet.

EPHRAIM CAMERARIVS, *Ringlebiensis*, de adfectuum moderamine, ad felicitatem necessario, disseret, debitasque audituris, gratias persoluet.

Quo

Quo saepius recogitamus; haecce sollennia nostra,
honorificentissima, ac honorifica, procerum huius vrbis,
eorumque, qui his nostris fauent, praesentia esse illustra-
ta; eo maiori fiducia, vt PERILLVSTRIS ATQVE
EXCELLENTISSIMVS MAECENAS NOSTER,
dulce leuamen, praesidiumque nostrum, tum Viri illustres,
Magnificus, Maxime reuerendi, Amplissimi, vt & reliqui,
munerum dignitate, vel doctrinae praestantia spectati, huic
celebritati nostrae interesse, dicturisque, aures beniuolas
praebere, haud dedignentur, pie & officiose rogamus, atque
contendimus. P. P. die Februar. ann. a partu vir-
ginis salutari clō Io cc LIV.



JOHANNES FRIDRICH, Königl. Rath, de officio meo.

Quo

nc



Ka 6261


VD 18


ULB Halle

3

007 529 49X







AD
SOLLENNIA NATALITIA
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
IOANNIS FRIDERICI
PRINCIPIS SCHWARZBURGI

E QUATVOR S. R. I. COMITIBVS COMITIS HOHN-
STEINI DYNASTAE ARNSTEDI SONDRERSHVSÆ
LEVTENBERGÆ LOHRAE AC CLET-
TENBERGÆ RELIQVA

PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI INDVLGENTISSIMI
ORATIONIBVS PVBLICIS
IN LYCEO PROVINCIALI FRANCOHVSANO

RITE CELEBRANDA
PERILLVSTREM ATQVE EXCELLENTISSIMVM
MAECENATEM NOSTRVM,
VIROS

ILLVSTRES, MAGNIFICVM, MAXIME REVERENDOS AM-
PLISSIMOS, RELIQVOS MVNERVM DIGNITATE, DOCTRINAEQVE
NOMINE SPECTATOS

REVERENTER ET OFFICIOSE INVITAT

M. IO. FRIDERICVS ECKHARD. R.
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IENENSIS ADIVNCTVS ET
SOCIETATIS LAT. COLLEGA HONORARIVS

DE
APOLLINE IVRISPERITO
PAVCA COMMENTATVS.

FRANCOHVSÆ,
LITTERIS KEILLIANIS.

